Affini Wilhemio.

~~gr...~~

(460)

Constantinus Hugenius
D. de Wilhem affini optimo.

Cæperunt modicè mihi placere febriculosi partus mei ex quo dignatus es testari, tibi non displicuisse. Stómachum tibi, ad cætera omnia nauseantem, commonuisse seriò si dicis, ecce, (et horresco referens) quo vel βούλιμον expleas, totos 19. Poematum Belgicorum libros, qui carceres, ut vides pulsant adeò, ut editionem nihil porrò moretur quam effigies, si Diis placet, mea quam ab Archimede meo delineatam sculptor Amstelodamensis jam nunc absolvisset, absque cruciatus fuissent, quos vir miserandus patitur tuis quam simillimos. At horum sensu, si te hæc πολυποικιλία rerum et verborum, stili et argumenti nonnunquam avocare valet, pæne pretium fuerit omnem hunc apparatum ægro in antecessum communicasse, qui aliogui non meus est mos. Primos 4. libros videbis ex otijs olim ~~me~~ meis collectos; quæ in 5°. sacra tractantur maximè in argumento sacræ synaxeos, quibus temporibus soleo me hujusmodi meditatiunculis exercere. fortasse te lectorem benevolum obtinebunt. Si ab his seriis, ad amœniora divertere ~~licebit~~ libet, sequitur vis immensa Epigrammatum; quo in genere (audeo apud affinem amantissimum profiteri) credo me quodammodo luscum, inter cæteros nostros regnare, et propius aliquantò veteres hic assecutum, quam isti suaves, qui ne Lemma quidem norunt Epigrammati inscribere, et me in insaniam adigunt, cum ejusmodi sua impudentissimè proferant: Van een man die een quade wrouwe hadde., et gravi materiæ hoc exordium dat: Daer was een seker man, die had een quade wrouw. Et hæc tamen in deliciis popello nostro sunt. Ego an quid ejusmodi ineptiarum sim molitus, tui judicii esto. sed clementis ~~...~~ satis enim pernovi quam alioquin sim curtâ supellectile. Addidi chartas adhuc typo mandandas, ut seriem operis videas, et initia. Hasce solas, quæ sunt ordine dispositæ, quamprimum remittas peto, et penes te ~~operis~~ lateant

© Koninklijke Bibliotheek
KA 45, fol. 163rv
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5557

~~quin videat, ex initio~~ ~~[illegible]~~
lateant, ut et ipsum volumen, quod propediem redemp-
rus sum exemplari pleno et compacto. Vale Vir
Praestantissime et me ama. Æger 17: Nov: CIƆIƆCL

Ad initium Paginæ, manu ut vides parum
sibi constanti, si somnus responderet
ut alvus cepit grandiori gressu ad
sanitatem irem:

(461).

Jo Fred: Gronovio. Quid de me sentias, Gronovi Doctissime, qui toto bie[nnio]
in ære tuo sum, neque de solutione vel sollicitus videor,
facilis conjectura est. Si tamen me benignus audias, i[n]
nies non quotidianas modò occupationes, sed et itinera
excursiones varias, longas, et longinquas, quibus mu[l]
tum distractus fui. Officia quæ amicis debeo, et quorum
satis olim rigidus observator audivi, non parum pe[r]
basse. Accessit tandem gravi et penè lethali morbus,
qui me totos duos menses lecto, tres totos domui inclusit.
Ab illo vix tandem resurgo, quod hæc manus indicabit, do
charactere, et qualem a me non accepisti. Tantum
verò abest, ut hæc vel simul sumpta purgando mi[hi]
sufficere credam, ut nec accedere ad te sustinuerim, n[isi]
duplici, ut vides, scuto munitus. Horum alterum est
immane volumen, quo in animum induxi semel insta[nti]
bus amicis exhibere quidquid hactenus Vernaculorum
Poematum longè aliud agenti excidit. ut ejusmodi de nu[gis]
hâc ætate amplius non obtundar. Tibi tot meliori[bus]
rebus intento, vel legendi ista, vel prorsus non inspici[endi]
amplissimam potestatem facio. Lucem tantum
absque te censore admoto ut viderent, planè non commi[t]
tendum duxi. Majoris momenti alterum hoc scutum
est, quod Clarissimum Heinsium rogavi pateretur
meâ manu tuæ tradi, non parum mihi plaudens, qu[od]
è Musæo meo prodire possit, cujus tibi usus gratus
aut necessarius. Indicavit iste Manuscriptis juvari
et obstringi posse, et, ecce, copiam eorum libens meri[to]
facio, quantam ab amico postules. Tum si quid ejus[dem]
superest in κειμηλίοις Lipsianis, quorum ex Asse pene
hæres sum, omnibus et singulis utere fruere tamqua[m]
tu[is]